

## QUÆSTIO XXIX.

# DE PERSONIS DIVINIS.

## SUMMA LITTERÆ.

Agit S. Thomas post explicatas processiones, et relationes, quæ sunt sicut principia ponendi Personas distinctas in Deo de ipsis Personis. Et primo, de his quæ pertinent ad omnes Personas in communi quatuor quæstionibus sequentibus. Deinde, de his quæ pertinent ad singulas specialiter.

Primum ergo quod occurrit de ipsis Personis in communi est agere de Personis secundum se, et in quo consistat, quidve significetur hoc nomine persona. Et sic tractat quatuor. Primo, definitionem personæ in communi explicat. Secundo, quomodo comparetur ad substantiam et essentiam et hypostasim. Tertio, quomodo inveniatur in divinis. Quarto, an significet ibi relationem vel essentiam.

Igitur in primo articulo explicat definitionem personæ assignatam a Boetio, quod est rationalis naturæ individua substantia: dicitur enim substantia individua, quatenus significat singulare in genere substantiæ. Dicitur autem rationalis naturæ, quia non quodlibet individuum substantiale, sed quod est naturæ intellectualis seu rationalis, persona vocatur.

In articulo secundo ad melius explicandum rationem personæ, comparat illam cum tribus, quæ in substantiis singularibus concurrunt. Invenitur enim in aliquo individuo substantia supra pro quidditate, et tunc est idem quod essentia: deinde invenitur subsistentia quæ pertinet ad modum existendi, scilicet quatenus per se existit. Et tertio resultat hypostasis seu suppositum, quo nomine significatur res illa, seu individuum, prout subest, seu substernitur accidentibus et prædicatis superioribus, sed accidentibus substernitur realiter ut formis inhærentibus; et sic dicitur res naturæ, seu hypostasis, id est, sub aliis positum, quo nomine etiam substantia solet significari, ut sit idem quod sub aliis stans. Prædicatis autem superioribus subest, non realiter, sed logice, et secundum intentiones rationis; et sic dicitur suppositum, quasi suppositionem faciens. Nunc autem communiter pro eodem accipitur suppositum, hypostasis, res naturæ, subsistens complete, etc. Persona autem est idem quod hypostasis vel subsistens completum in genere naturæ intellectualis.

In articulo tertio ostendit Deo convenire significatum hujus nominis persona, quia convenit ei esse subsistens completum et perfectum in natura divina, quæ est natura intellectualis. Hoc enim, quod est subsistere in intellectuali natura, nullam imperfectionem importat, sed perfectionem maximam, id est, completam et terminatam. Esse autem individuum substantiam non convenit Deo ratione alicujus materiæ, sed ratione incommunicabilitatis, ut dicitur solutione ad quartum. Et licet conceptus formalis personæ, ut relatio est ad aliud, perfectionem explicet, explicat tamen

perfectissimum in natura, scilicet esse terminatum in natura intellectuali et terminus, seu modus perfectionis in Deo est. Hic tamen abstrahit D. Thomas ab eo quod particulariter constituit Personam in Deo, et solum vult significatum hujus nominis persona Deo convenire, quia convenit perfectissimæ naturæ, quæ est intellectualis.

In articulo quarto docet quod Persona in divinis significat relationem ut formam constituentem Personam, non quatenus relatio significatur exercendo oppositionem ad alterum, sed quatenus significatur relatio subsistens, et distinctionem faciens ab alio, persona quippe est individua substantia, et illud est individuum quod est in se indistinctum, et ab aliis distinctum in aliqua natura. Hoc autem facit relatio: nam est subsistens, si quidem relatio in Deo non inhæret, et est distinguens qua sola relatio in divinis distinguit a correlativo.

## QUÆSTIO XXX.

# DE PLURALITATE PERSONARUM.

## SUMMA LITTERÆ.

Secundum quod tractandum est de Personis in communi, est de earum pluralitate, et numero. In quo quatuor explicat D. Thomas. Primum, an sint plures. Secundum, quod sint Personæ. Tertium, quomodo significant in Deo termini numerales. Quartum, an pluribus Personis sit communis ipsa ratio personæ.

In primo ergo articulo ostendit esse in Deo plures Personas, quia sunt plures relationes subsistentes: relationes enim distinguuntur realiter secundum processiones. Sunt ergo plura subsistentia realiter distincta, et hoc in natura intellectuali, ergo plures Personæ.

In articulo secundo ostendit non esse plures Personas quam tres, scilicet Patrem, Verbum, et Spiritum sanctum, quia solum sunt tres proprietates, id est, relationes oppositæ inter se, scilicet paternitas, et filiatio, quæ reciproce opponuntur, spiratio activa et passiva, quæ etiam opponuntur. Sed ex his duabus una, quæ est spiratio activa, non opponitur paternitati, et filiationi, quia nec procedit ab illis, nec illæ ab ipsa. Et sic si non opponitur, identificatur cum eis. Spiratio autem passiva opponitur illis duabus, tum quia procedit a spiratione quæ identificatur cum eis, et sic opponitur illis ut spirantibus; tum quia si identificaretur spiratio passiva paternitati et filiationi, utraque diceretur spirari, et procedere per amorem. Et rursus cum identificarent sibi spirationem activam, procederent a se, quod est absurdissimum. Restat ergo quod tres relationes constituent tres relationes oppositas, et consequenter proprietates personales: spiratio autem activa non sit proprietas, quia est communis duobus.

In articulo tertio docet quid pluralitas, seu multitudo in divinis, quæ per terminos numerales significatur, non importat nisi plures unitates, et sic significat res quæ dicuntur unæ cum indivisione circa unamquamque. Et sic solum est ibi multitudo transcendentalis, quæ constat ex entibus distinctis, non numerus, qui est species quantitatis.

In articulo quarto ostendit quod hoc nomen persona est commune tribus Personis communitate rationis, seu prædicationis, id est, tamquam commune prædicabile, non tamen ut genus aut species, sed tamquam individuum vagum ut aliquis homo, eo quod persona individuum substantiam importat, et sic est commune tamquam individuum in communi consideratum.

---

QUÆSTIO XXXI.

DE HIS QUÆ AD UNITATEM, VEL PLURALITATEM  
PERTINENT IN DIVINIS.

SUMMA LITTERÆ.

Tertium quod consideratur circa personas in communi, est modus significandi et utendi nominibus, quæ vel pluralitatem significant, vel exclusionem pluralitatis. In quo quatuor considerat. Primo, de hoc nomine Trinitatis. Secundo, de hoc nomine alius, an sit dicendum in divinis. Tertio, de hac exclusiva solus, tantum, et similia, an sit adhibenda termino essentiali, ut solus Deus est bonus, est creator, etc. Quarto, an e converso possit adjungi termino personali, ut, solus Pater est Deus.

In articulo primo docet, quod hoc nomen Trinitas dici potest de Deo, non tamen de singulis Personis, ut Pater, et Trinitas, quia significat pluralitatem determinatam Personarum in una essentia, scilicet pluralitatem in numero ternario, et hæc vere dicitur de Deo, non de qualibet Persona.

In articulo secundo ostendit, quod recte dicitur Filius alius a Patre, et Pater alius a Filio, non aliud et aliud, quia *ly* alius significat distinctionem in persona, *ly* aliud in natura, seu substantia. Et similiter alia nomina excludentia distinctionem Personarum, ut esse unicum, esse solitarium, vel divisionem potentiam, in natura, ut nomen separationis, divisionis, differentia vitanda sunt.

In articulo tertio docet, quod hoc nomen solus, si sit idem quod solitarium, et excludat consortium personarum ejusdem naturæ, non est apponendum Deo. Si non excludat consortium personarum, sed consortium aliorum, extra Deum, potest adjungi termino essentiali, ut cum dicitur: Solus Deus est æternus, solus est immortalis.

In articulo quarto docet, quod hæc dictio solus proprie non est adjungenda termino personali, ut si dicatur: Solus Pater est Deus, quia excludit alias Personas a consortio prædicati. Si autem ponatur adverbium ut: Pater solum est Deus, est vera, quia excludit aliud, non alium a divinitatis consortio.

---

QUÆSTIO XXXII.

DE DIVINARUM PERSONARUM  
COGNITIONE.

SUMMA LITTERÆ.

Quartum quod in divinis Personis consideratur in communi, est de earum cognoscibilitate, in quo etiam includuntur notæ, seu notiones, quibus Personæ discernuntur, tum inter se, tum ab essentia. Et inquitur quatuor. Primo generaliter, an Trinitatis mysterium sit naturali ratione investigabile. Secundo, an dentur notiones seu notæ aliquæ, quibus singulæ Personæ discernantur. Tertio, quot sint istæ notiones. Quarto, an liceat circa eas diversimode aut contrarie opinari.

Igitur in primo articulo docet, mysterium Trinitatis non posse ulla ratione naturali investigari, quia nullus effectus naturalis, et qui naturali ratione attingi potest, manifestare potest Deum, nisi ut causam talis effectus. Est autem Deus causa creaturarum ratione suæ virtutis, et potentiam, et artis, quæ omnia sunt Dei in quantum unus, non ut Trinus: Trinitas ergo ratione naturali investigabilis non est.

In articulo secundo docet esse ponendas notiones in divinis, id est, formas, seu notas quibus discernantur ea quæ personalia sunt ab essentialibus, ut distinguamus in quo Personæ divinæ sint unum, et in quo sint plures. Et ut iterum in Persona, quæ est una, ut Pater, discernatur id quod est proprium, scilicet paternitas, et id quod commune, scilicet spiratio activa. Et has notiones, proprietates, et notas tamquam quasdam formas, etiam in abstracto significamus.

In articulo tertio docet has notiones rerum personalium esse quinque, quia notiones sunt formæ, seu notæ, quibus Personæ innotescunt, et discernuntur. Innotescit autem Persona Patris dupliciter, et per negationem existendi ab alio; et sic est innascibilitas, et per principium originandi aliud; et sic ut est principium Filii, est paternitas, ut principium Spiritus sancti est spiratio activa, quæ etiam est communis Filio. Filius autem innotescit notione communi cum Patre, scilicet spiratione activa. Denique, Spiritus sanctus innotescit notione procedendi per modum amoris, quæ est spiratio passiva.

In articulo quarto docet, quod circa notiones licitum est contrarie opinari, in his in quibus non sequitur aliquid contrarium fidei, et determinatis per Ecclesiam. Secus vero in his in quibus sequitur.

---